

8.10.5

*Imp. Diocletianus et Maximianus AA. Octavio.*

Si is, contra quem precem fundis, sciens prudensque soli partem ad te pertinere, non quasi socius vel collega communis operis sollicitudine solidam balneorum extructionem ea mente, ut sumptus pro portione tua reciperet, adgressus est, sed totius loci dominium usurpare et collapsum balneum refabricare enisus est, cum aedificia quae alieno loco imponuntur solo cedant nec impensae his qui improbe id fecerint restitui debeant, antiquato divi Hadriani edicto praeses provinciae memor iuris publici in dirimenda disceptatione legum placita custodiet.

*PP. VI non. Oct. ipsis IIII et III AA. cons.*

[a. 290]

8.10.6

*Imp. Constantinus A. Helpidio agenti vicem pp.*

Si quis post hanc legem civitate spoliata ornatum, hoc est marmora vel columnas, ad rura transtulerit, privetur ea possessione, quam ita ornaverit.

1 ¶ Si quis autem ex alia in aliam civitatem labentium arietum marmora vel columnas de propriis dominus in proprias transferre voluerit, quoniam utrobique haec esse publicum decus est, licenter hoc faciat: data similiter facultate etiam de possessione ornatum huiusmodi ad possessionem aliam transferendi, quamvis per muros vel etiam per mediam civitatem ea transferri necesse sit, ita ut ea solummodo quae illata fuerint civitatibus exportentur.

*D. VI k. Iun. Viminacii Crispo II et Constantino II cons.*

[a. 321]

8.10.7

*Imp. Iulianus A. ad Avitianum vicarium Africae.*

Nemini columnas vel statuas cuiuscumque materiae ex alia eademque provincia vel auferre liceat vel movere.

*D. VI k. Nov. Iuliano A. IIII et Sallustio cons.*

[a. 362, 363]

8.10.8

*Imp. Valens Gratianus et Valentinianus AAA. ad Modestum pp.*

Singularum urbium curiales etiam inviti vel reparare intra civitates quas olim habuerint domus vel ex novo aedificare cogantur, illic semper muniis inservituri et aucturi proprietarum frequentiam civitatum. Possessores vero, qui non erunt curiales, in urbibus, in quibus domus possident, easdem domos dirutas neglectasque reparent, iudiciaria ad conservandum hoc praeceptum auctoritate retinendi.

*D. XIII k. Nov. Gratiano A. IIII et Merobaude cons.*

[a. 377]